



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 22. Statuta, & Decreta hujus Concilii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1582.

§. XXII.

*Statuta, & decreta hujus Concilii.*

*Labbe l.c.  
p. 716.*

Ceterum hujus Synodi decreta complectuntur triginta, & unum capita, in quibus præprimis agitur de iis, quæ conservandæ fidei obsunt, atque inter hæc confortium cum hæreticis, perversorum Codicum lectio &c. enumerantur. Postea pertractantur ea, quæ spectant ad Concionatoris officium, Sanctorum cultum, Festorum sanctificationem, Indulgentias pro quadraginta horarum precibus concessas, necnon Parochorum munia: differitur etiam ibi de rebus ad Sacramentorum administrationem requisitis, necnon de Baptismo, sacra Eucharistia, Pœnitentiæ Sacramento, infirmorum visitatione, ac de omnibus, quæ ad Sacramentum Ordinis pertinent. Postea Synodus Capitulorum munia, quando sedes vacat, præscribit, agitque de Cleri disciplina, sancto Missæ Sacrificio, divinis officiis, exequiis, solemnibus supplicationibus, Ecclesiarum cultu, necnon de Episcopis, eorumque jurisdictione tam contentiosa, quam gratiosa, ac denique decreta sanciantur de bonis Ecclesiasticis, visitatione Episcopali, Concilio Provinciali, Synodis, Beneficiorum collatione, foro Ecclesiastico, Matrimonio, ac

ac Christiana militum disciplina, & de- Sæcul. XVI.  
 mum de fodalitatibus, piisque locis, & A.C. 1582.  
 de modo in illis versandi. Postremo  
 sanctiones decernuntur de Religiosarum  
 Virginum monasteriis, necnon de iis,  
 quibus ea ingredi licet, ubi circa hunc  
 ultimum articulum Synodus hæc sta-  
 tuit: si quis præter illis, quibus ejus-  
 modi monasterii septa ex Episcopi licen-  
 tia ingredi licet, id attentaverit, pæ-  
 nam excommunicationis Pontifici reserva-  
 tæ ipso facto subeat, aliasve arbitrio Epi-  
 scopi: *Abbatissæ vero, Priorissæ, & alie*  
*Moniales, quæ Ecclesiasticos, aut laicos*  
*homines quavis causa, prætextu intra*  
*Monasterii septa absque Episcopi concessu*  
*literis consignato ingredi permiserint, ipso*  
*facto excommunicationis pœnam subeant, a*  
*qua e sanctionis sanctissimi Domini nostri*  
*Gregorii Papæ XIII. præscripto, non*  
*possint, nisi a summo Pontifice absolvi, præ-*  
*ter alias pœnas eadem constitutione pro-*  
*positas. Quæ vero Moniales absque Epi-*  
*scopi concessu scriptis exarrato, quemquam*  
*vel marem, vel sceminam, contra quam*  
*supra præscriptum est, ad collocationem,*  
*rotarumve loca admiserint, biennio multa-*  
*tæ sint suffragio omni.*

§. XXIII.

*Memphitica, seu Cairensis Synodus.*

Eodem